I. 1, 1. *Επεὶ δὲ οὐ πᾶσαι πᾶσιν, οἰκείως ἔχει διελεῖν τίνες ἑκάστοις καὶ διὰ ποίας αἰτίας, ἀρχαῖς χρωμένους ταῖς κατὰ τὰς ἰδίας οὐσίας.* h. e. *Quia autem non omnes generationis modi sunt omnibus plantis, hujus est loci distinguere quinam sint stirpium singularum modi et quasnam ob causas, adhibentes ea principia quae propriae cujusque naturae respondent.* Sic mihi videor hunc locum levi mutatione correctum redintegrasse; scripsi *ἀρχαῖς* pro *οὐχ αἷς* et *ταῖς* pro *τὰς*, ceterum lectio mea scripturam codicum U. M. presse sequitur; *διελθεῖν* cum Ald. Edd. omnes, post *αἷς* crux, i. e. signum defectus vel vitii, posita in Ald.; *αἰτίας οὐκ αἰσχρὸν ἐνίοις ταῖς* cett. Vascos, cui scripturae vestigia verae insunt; — *ἀποδίδοαρ μέλλουσι κατὰ τὰς ἰδίας οὐσίας πειρατέον εἰπεῖν* Camot., quam interpolationem, operarum culpa perversam, Camotius e Gazae versione petiisse videtur; *ἀποδίδοσθαι* correxit Scaliger; futilem Heinsii interpolationem nihil refert respicere; denique — *πᾶσιν οἰκεῖαι, δεῖ διελεῖν — αἰτίας, [οὐχ αἷς] χρωμένους ταῖς κατὰ τὰς ἰδίας οὐσίας διαφοραῖς* de conj. scripsit Schneider, quod criseos genus damnandum est, quia vitii sede non curata medelam partibus haud affectis adhibere vult. Neque vero sententia, quam verbis a se emendatis exprimi Schneider voluit, satis est perspicua atque concinna. Emendatione mea Theophrastum solito quidem brevius sed docte loquentem feci. *ἀρχαὶ* sunt *principia* et distinguendi et referendi naturae opera ac instituta ad causas, quae vocabuli notio trita est Aristotelem legentibus. Paullo mox cap. 16, 10 Theophr. dicit *ἡ μὲν γὰρ φύσις ἐν αὐτῇ τὰς ἀρχὰς ἔχει.* Quo facilius persuadeam conferre jubeo Aristot. Part. Anim. 1, 1. *πρῶτον — γενέσεως* atque verba *φαίνεται δὲ πρώτη (αἰτία) ἣν λέγομεν ἕνεκά τινος· λόγος γὰρ οὗτος, ἀρχὴ δ' ὁ λόγος.*

I. 1, 2. *διὰ ταῦτ' οὐκ οἴονταί τινες πάντ' ἀπὸ σπέρματος ἐνδέχεσθαι*, *propterea nonnulli non putant omnes plantas posse semine propagari.* Scripsi *πάντ'* pro *πάνυ* quod M. Ald. Sch. exhibent, quanquam *πάντα* jam correctoribus illis, qui lectionum earum auctores fuere, quas Sch. ut e codicibus petitas sub Anglicani, Vossiani, Vinariensis libri nomine retulit, debetur; *πάντων* est in Vinar.; *πάντα φύειν* soloecum dederat Heinsius, sumtum e versione Gazae *idcirco nonnulli e semine creari omnia posse negarunt*, quem *πάντα* habuisse apertum est.

I. 1, 3. *δι' ὃ καὶ αἱ γενέσεις κατὰ τὰς ἰδίας ἑκάστων φύσεις.* His verbis Schn. lacunae signum praeposuit. Equidem non tam lacunam video, quam verba spuria, quibus nescio an *διάφοροι δ' αἱ γενέσεις* substituenda sint.

I. 4, 2. *τὴν γὰρ αὐτὴν αἰτίαν ὑποληπτέον καὶ ἐπὶ τούτων ἥνπερ ἐπ' ἐκείνων.* Ita de conjectura scripsi; *ἥνπερ ἐπί τινων* habent codices, Ald. Heins.; *ἥνπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων* cum marg. editionis Vascosanae dedit Sch.; *quam in caeteris* Gaza. Sed emendatio nostra et propter literarum similitudinem praestat et propter sensum. *Ἐκεῖνα* enim sunt *arbores*, ut e capitis superioris verbis extremis, quibus ab arboribus ad herbaceas transit, elucet.

I. 4, 5. *ταῦτα γὰρ παρέχει πᾶν τὸ ἀλλότριον· ἀλλότριον δὲ τῷ ζῶντι τὸ μὴ ζῶν.* Sic scripsi ex Aldinae lectione e codice U emendata; — *πᾶν τὸ ἀλλότριον δὲ τῷ ζῶντι* U, quae lectio optima, nisi quod librarius vocem *ἀλλότριον* repetere neglexit; — *πᾶν τὸ ἀλλότριον· ἀλότριον δὲ τῶν ζωτικῶν τὸ μὴ ζῶν* Ald. Heins. In alia omnia abit Schn. e conj. exhibens *κελύφη τὰ αὐα, παραιροῦσι καὶ πᾶν τὸ ἀλλότριον* cett. ut in Ald.; dein ex U. *τῷ ζῶντι* correxit, quae scriptura, expressa fere e Gazae versione, multum a vero distat. Apparet enim *radiculas* et *cutem externam* Theophrasto aliena vocari; sed e mente Schneideri *alia* praeter istas partes *aliena* habentur, errore manifesto. Neque opus erat addito *τὰ αὐα;* nam *κελύφη* non omnes tunicae sunt, sed extremae calycis modo bulbum tegentes. Ceterum verba *ταῦτα — ἀλλότριον*, quae possis interpretari *his enim partibus inest omne id quod in germinatione impediat*, nunc non mutavi, neque vero pro integris habeo, sed conjicio scriptum fuisse *ταῦτα γὰρ παραιρετέον ὡς ἀλλότριον.*

I. 9, 1. *καὶ γὰρ ὅλα γένη μεταβάλλει καὶ ἐκπαπποῦται πολλάκις ἔνια καθάπερ ἐν ταῖς ἱστορίαις εἴρηται.* Ita Ald. Edd. o. atque ut videtur codices, e quibus nihil adnotatum h. l. Vitia hujus loci tam aperta ut praeteriri nequeant. Primum *ὅλα γένη* haud recte habet; ea enim sunt apud Theophrastum, quae fere nostris *ordines*,

Familien, audiunt; vide Schn. ad Hist. I. 1, 2. Igitur ὅλως τὰ γένη scribendum esse censeo. Deinde ἐκπαπποῦναι, quamquam rationem excogitari posse video, qua defensionem habeat, tamen recte damnatum esse a Schneidero, atque, cum in Historiis nihil tale dictum exstet, comparato loco, qui hujus rei expositionem habet, II. 2, 4, καὶ πολλάκις ἕτερον γένος· ὁτὲ δὲ ὅλως οὐδὲν ἥμερον ἀλλ' ἄγριον ἐνιότε, hic ἐξαγριοῦται scribendum esse judico.

I. 12, 5. ὡς ἡ τῶν ὅλων σύστασις μικρὰ εἴπερ ἐλάμβανε πρὸς ἕξιν Ald. et U., ubi in προς litera ρ punctis suppositis damnatur; μακρὰ dedit Heins.; μακρὰ dein ἐλάμβανέ πως ἕξιν Schn. quam scripturam interpretatus est *Alioquin totarum stirpium concretio nimis fieret lenta si nutritio et incrementum per partes procederet.* Quae sententia cum superioribus non cohaerere videtur. Verba sequentia ostendunt, verbis ὡς — αὐξήσεις inesse sententiam concessivam: *Fit quidem compositio totius corporis per parva quaedam intervalla, ut nutritio et augmentatio subinde paullum subsistant ac cessent, sed nimium esset spatium si quis anni tempestatibus ea disjungere vellet.* Scribo igitur: μικρὰν ἀεί τινα λαμβάνει ἔφεξιν.

I. 12, 6. ἀλλ' ὥσπερ εἰ συμβαίνοντι τινὶ πρὸς αὔξεστέρας Ald.; ὥσπερ εἰ συμβαίνοντί τινι προσαυξεστέρας U. M.; ἀλλ' ὡσπερεὶ συμβαίνοντι ἔοικε προσαύξεσθαι scripsit Sch. in editione, dein omissum τὸ ante infinitivum supplevit. Ultima emendationis parte suscepta cetera mihi facilius corrigere contigit: scribo enim ἀλλ' ὥσπερ ἐν συμβαίνοντι τὸ προσαύξεσθαι.

— τύχωσιν εἰς ἔκφυσιν καὶ αὔξησιν ἔρχεται U. M.; ἔρχονται Ald. Edd. o., quamobrem Sch. structurae laboranti addito δὲ post ἔκφυσιν subvenire voluit. Sed ἔρχεσθαι scribendum est, aptum a κωλύεται.

I. 13, 5. ὅθεν καὶ ῥοαὶ καὶ κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν U. M.; alterum καὶ abest ab Ald. Edd. o. Mihi καὶ non abjiciendum sed in eo aliud, quod huic loco aptum sit, quaerendum videtur; nihil vero magis in promptu quam ῥοαί τισι scribere.

I. 15, 7. ἀλλ' ἐκ τῆς καθαρωτάτης περιττώσεως. Sic emendandus esse videtur locus antea desperatus. — γῆς καθαρωτάτης ὅπερ ἐν τούτῳ U; — γῆς ... ὥσπερ ἐν τ. M. Ald.; ἀλλ' ἐκ τῆς ὕλης τῆς καθαρωτάτης ἐν τούτῳ Schn.; *ex purissima compilatur materia* Gaza.

I. 15, 9. φαρμακώδεσι χυλοῖς Edd. omnes. In U interposita καὶ σκώδεσιν, unde φαρμακώδεσι καὶ ὀπώδεσι χυλοῖς scribendum est.

I. 15, 11. ὅταν οὖν ἐλλιπὴς τυγχάνῃ τοῦτο προςλάβῃ διὰ τέχνης U. M., — προσλαμβάνει Ald. Edd. o, quam lectionem correctori deberi certum est. Schn. in Supplementis scribi voluit φύσεως, ὅταν οὖν ἐλλιπὴς τυγχάνουσα ταῦτα προςλάβῃ δ. τ. Sed codicum lectio optime habet mutato modo οὖν in ὢν, ut sit sententia haec: *Simul enim et fit perfectio naturae, quando ea, quorum indigens sit, artis ope adsciscat.*

I. 17, 1. ὅσον ἂν ὁ ἥλιος ἐπιθῇ U M Ald. Heins.; ἐπίδῃ correxit Schn. in editione, ἐπιθίγῃ in supplementis; ἐπιθέρῃ conj. Coraes. At reponendum, vocabulum hac in re Theophrasto usitatum, ἐπέλθῃ.

I. 19, 3. ἡ δὲ τῶν περικαρπίων παραμονὴ ὅρον τινὰ ἔχει scribo ex emendatione mea; ἡ δὲ περὶ τῶν περικαρπίων ὁμοία ὅρον cett. U M; ἡ δὲ τῶν περικαρπίων ὁμοίως ὅρον cett. Ald. Edd. o. Postquam dixit scriptor, quae auxilia paraverit natura ad conservanda semina, sequi debet quod cum eo cohaeret, pericarpia habere terminum certum ultra quem conservari nequeant sed pessumdari incipiant. Quamobrem ὁμοία vel ὁμοίως non recte habet. Substituo igitur, quod nexus requirit, substantivum a μένω formatum, quod in literis μοια puto μονη latere; dein praepositionem περι in libris loco alieno additam huc traho indeque παραμονὴ efficio.

I. 20, 2. ἴσως δὲ εἴπερ ὅμοιον, τὸ σταχυοβολεῖν τοῦτο καὶ πλειόνων ἐστὶ καὶ τὴν αἰτίαν κοινήν τινα λεκτέον. Ex hac mea emendatione, τοῦτο καὶ pro τοῦτο δὲ scribentis, loco et sensus et nexus redit.

I. 21, 6. ὡς τὰ μάλιστα τοῦ πυρὸς ὄντα. Ita scribo de conjectura, proxime a librorum vestigiis, mutatis tribus literis. ὥστ' ἀεί τις τὰ τοῦ πυρὸς ὄντα U Ald. et M, hic vero omisso τὰ; ὡς ἀεὶ τὰ τοῦ πυρὸς ὄντα Heins. Quae Schneider dedit ὡς τὰ τοῦ πυρὸς πλεῖον ἔχοντα errori manifesto originem debent. Scilicet Heinsius, cum contextum typis exscribendum curaret, pro ὄντα voluit πλεῖον ἔχοντα dari; operae vero verba ista in versum sequentem retracta ὑπὲρ τῆς πλεῖον ἔχοντα θερμότητος exhibuerunt. Schneider igitur editionibus vett. non inspectis praetervidit ea verba ab ipso Heinsio esse profecta; quamobrem cum ea ut e libris accepta retineret, ex alieno in suum locum transponere sategit.

II. 3, 7. ὁ δὲ οἰκεῖος ἤδη διατελειοῖ τὰ τῆς φύσεως. Ita correxi, quae in editis habentur διὰ τελειότητα τῆς φύσεως. Quae Gaza habet *sed fructum perfici maturarique nunquam sinit*, non e graecis hausta esse videntur. Sententia haec inest meae scripturae: Sed ea loca, quae tanquam domicilium data sunt phoenici, perfi-

ciunt omnia hujus arboris munera naturalia i. e. fructum bene concoctum maturat.

II. 3, 8. *δι᾽ ὃ καὶ αἱ μὲν ἄσαρκοι πάμπαν ἐλαιηρότεροι δὲ τῶν ἐν τοῖς ψυχροῖς.* Corrigo *ἐλαιηρότεραι* pro *μεγαλόρριζοι* quod est in Ald. Edd. o. Scaliger dederat *ἐλαιωδέστεραι*, cui meum praefero ob rationem palaeographicam. Vulgata est spuria, quum et comparativo opus sit, neque hic ulla fieri possit radicum mentio.

II. 4, 1. *καὶ γὰρ αὐτὰ τῆς φύσεώς ἐστιν· ἀβλαστῆ δὲ δι᾽ ἄμφω,* corrigo partim e mea partim e Schneideri conjectura. — *φύσεως ἔτι δὲ εὐβλαστῆ δὲ ἄμφω* U. et altero *δὲ* omisso Ald. Edd.; *φύσεως. ἔτι δὲ εὐβλαστῆ δι᾽ ἄμφω* Schn. in editione; *φύσεώς ἐστιν· εὐβλαστῆ δὲ δι᾽ ἄμφω* Schn. in Supplem. Accepi a Schneidero *ἐστιν* et suppletam voculam *δι᾽*, ipse *εὐβλαστῆ* muto in *ἀβλαστῆ*, quod et vox *πολλάκις* et proxima facere jubent. Ab initio enim quaedam, quae stirpium vigorem impedire solent, affert, dein quae soli rationes et omnino et singulis utiles sint, exponit.

τὰ δ᾽ ὑπὲρ γῆς φαῦλα. Post haec verba nonnulla verba excidisse videntur, quia post verba *ὁτὲ μὲν* alterum sequi debet membrum quod illi sit oppositum. Verba enim *καθάπερ-τυγχάνῃ* cum proximis *ὁτὲ μὲν — φαῦλα* nexum non habent. Quae enim affert soli exempla, arenosum argillaceum deustum, sunt pejora et noxia, haud *χρηστά*. Suppleo igitur *ὁτὲ δὲ ὁ μὲν ἀὴρ εὔτροφος τὰ δὲ τῆς γῆς φαῦλα*, atque omissionis causam homoeoteleuton fuisse mihi persuadeo.

ῥίζωσιν γὰρ καὶ τροφήν. Ita correxi. *ῥιζῶσι δὲ* etc. Ald. Sch.; *ῥιζοῦσι* — Heins. Sententia est integra: Etiamsi aër sit bonus, si solum est malum, plantae non laete vigent; nam quae a solo pendent, radicum libera vegetatio et alimenti copia, desunt. Cf. III. 3, 1 et III. 4, 4.

III. 4, 6. *ὑγρὰ γὰρ ὄντα τὰ σώματα* U Ald. Edd. Scriptura *ὑγρὰ* quum aperte vitiosa sit, e Gazae versione *sicca* cum marg. Bas. Vin. Havn. 1 et 2 (qui sunt omnes doctorum hominum emendationes) voluerunt Scaliger Moldenhawer et Schneider *ξηρὰ* scribi. In editione mea Theophrasti Historiarum saepius docui, quam lubrica sit res Gazae versione uti ad emendandum Theophrasti contextum, quippe quem ipsum codicem haud aut vix meliorem eo, quo Aldus est usus, habuisse, plurima, quae in versione ejus rectius habentur quam in codicibus, ex ingenio correxisse compareat. Respicienti vero verba superiora *τὰ γὰρ*

φύσει λυπρὰ πιοτέρας τροφῆς δέονται, et literarum ductus non ξηρὰ sed ἰσχνὰ vera scriptura esse videtur, quam reponendam esse censeo.

III. 5, 1. ὅσα μὲν οὖν θερμὰ καὶ νιτρώδη cett. Vocem θερμά haud genuinam esse et sententiae ratio et juncta vocabula ostendunt. Exponit vero hic quoque, ut capitis quarti initio factum est, quae aquarum genera vegetationi ac incremento plantarum inimica et noxia sint. Quod si inter ea aquarum nimium calorem referri non quidem esset ineptum: debebat hoc certe a salsuginis ratione removeri. Atque mirum profecto, quod ubi nitri aluminisque aquis admixti mentionem facit, sal omittitur, de quo postea plura dicit. Quam ob rem pro θερμὰ scribendum esse ἁλμυρὰ conjicio.

III. 6, 1. καὶ ῥυτὸν καὶ ὄμβριον εἰ μὴ τῷ καὶ ἁπλῶς αἰτίῳ U. M.; καὶ ῥυτὸν ὀμβρίῳ cett. Ald.; εἰ-αἰτίῳ om. Gaza; καὶ ῥυτὸν ὀμβρίῳ καὶ ἐναντίον ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἐναντίῳ ex emendatione Dalecampii dederunt Heins. et Schn., eximium exemplum, quam longe a vero inconsiderata emendatio declinet. Non enim simpliciter dici poterat, bonum esse, si contrariae aquae contrariis misceantur, sed tantummodo certa quaedam genera. Scriptura codicum καὶ ῥυτὸν καὶ ὄμβριον temere a Schneidero spreta optime habet atque ostendit, quae fuerint verba olim, quorum locum ea, quae nunc habentur vana et nihili εἰ μὴ-αἰτίῳ, occupaverunt. Aqua enim fluvialis ac pluvialis ejusdem sunt generis, ambo purae terrenaeque materiei expertes: Aldinae ergo scriptura ῥυτὸν ὀμβρίῳ a correctore profecta est. Non possunt non verbis corruptis subesse vocabula, quibus genera duo aquae significantur, pluviali fluvialique contraria. Diligenter perpensis literis inesse video illis λιμναίῳ καὶ ἁπλῶς στασίμῳ, hancque veram esse scripturam mihi persuadeo. Cf. V., 14, 9.

III. 8, 2. τῶν ὑγρῶν τὰ μιμαίκυλα Ald. Edd. o. Haud dubito quin ἀγρίων reponendum sit.

III. 8, 4. ἀπέπαντα ἐπικνισθέντα καὶ ἐπαλειφθέντα ἐλαίῳ καθάπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη διὰ τὴν εὐτροφίαν, ὥσπερ καὶ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ συκάμινα. U. M. Ald. Schn. mutato verborum ordine exhibuit ἀπέπαντα διὰ τὴν εὐτροφίαν ὥσπερ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ συκάμινα, ἐπικνισθέντα δὲ καὶ ἐπαλειφθέντα ἐλαίῳ, καθάπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη, πεπαίνεται, fere secundum Gazae interpretationem. At haec mutatio, praeterquam quod libris invitis, facta est etiam parum considerate. Manifesto erraverunt, qui vocem πεπαίνεται addiderunt, a sequentibus damnatam; etenim verba τοῦτο-εἰσδέχεται ipsam concoctionis rationem explicant, ita

ut, nisi *τοῦτο δὲ* in *τοῦτο γὰρ* mutare velis, vox *πεπαίνεται* antea dici nullo modo potuerit. Correctionem loci facillimam ex I. 17, 9 petimus; addita enim negatione (*μὴ ἐπικνισθέντα*) scriptura librorum immota stare poterit.

II. 14, 1. *Ὅμοιον γοῦν-τῷ τόπῳ.* Scripturam codicum et editionum, eandemque Gazae, Schneider de sua et Linkii conjectura ita mutandam esse censuit *ὅμοιον γοῦν τούτῳ καὶ παραπλήσιον φαίνεται γίνεσθαι ἐπὶ τούτων ὅσα ἐπὶ τὸ βέλτιον ἀλλοιοῦται πρῶτον μὲν καὶ καθόλου ἐπὶ πᾶσιν* q. sq., quam, etiamsi minori vi facta esset, propter sensum haud probo. Structura *ὅμοιον φαίνεται ὅσα ἀλλοιοῦται* ferri potest, barbara nullo modo est. *Θεραπεία* latius patet quam *γεωργία* atque differt ab *ἡμερώσει*: etenim *τὰ θεραπευόμενα* sunt ea quae coluntur, cuius culturae partes variae sunt *ἐργασία τῆς γῆς ὕδρευσις κοπρίσις διακάθαρσις* et ceterae: *τὰ ἡμερούμενα* sunt eae quae e statu sylvestri mites fiunt atque domesticae, transpositae, satae ac ita cultae ut sicut animalia domestica quodammodo cum hominibus vivant. Ab his nunc ea discernuntur, quae accedente cultu in loco suo ac sede natali manentia in melius vertuntur. Quum igitur haec fere sit sententia: *Similis est ratio earum quae culturae ope mutantur, quum aut domesticae fiunt, quod in longe plurimis fit, aut in sede sua manentes meliorescunt*, nihil mutandum esse arbitror.

ibidem *ἔτι δήπου ὑδρία* U. M. Ald. Heins., quod in *ἔτι δήπου ἡ ὑδρεία* mutatum exhibuit Sch. Quanquam in proximis dubius haereo neque, quomodo ea commode restitui possint, adhuc invenerim, hoc tamen non dubium est quin pro *δήπου ὑδρία* scribendum sit *ἡ δὲ πολυυδρία*, quam emendationem quae sequuntur commendant. Post *γεωργούμενα* excidisse videntur nomina arborum earum, quae culturae ope in melius mutari soleant, quorum in numero *ῥόαν, punicam*, fuisse existimo; ibi igitur lacuna statuenda. Totum locum interea sic scribendum esse censeo: — *τόπῳ· βελτίω δὲ καὶ χαίρει γεωργούμενα .... καὶ γὰρ τοὺς πυρῆνας ὥσπερ εἴπομεν ἐλάττους ἔχει αὐτά τε βελτίονά ἐστι. ἡ δὲ πολυυδρία γλυκαίνει* q. sq.

II. 14, 2. *βοηθείας· μόνον γὰρ δὴ* sic U. Heins. Sch.; *atque id solum bifarie agitur* Gaza. Verae scripturae vestigium in Aldinae lectione *οὐ μόνον* mihi videor reperisse, e qua leni mutatione *ἄμεινον* prodit.

II. 14, 4. *τὰ δὲ ὀφθαλμιζόμενα οὐ πέφυκε.* Hanc scripturam Aldinae et Editionum mutilam supplevit Schn. in Suppl. additis ante *οὐ* e cod. U *ἢ ἐγκεντριζόμενα*, neglexit vero emendatione necessaria *τὰ δ' ἐνοφθαλμιζόμενα* scribere.

II. 15, 1. *Εις δὲ τὸ χεῖρον μεταβολαὶ* U. Ald. H. Quod quum manifestum vitium contraxerit Schn. *Τῶν δ' εἰς τὸ χεῖρον μεταβολῶν* correxit. At vitii originem in terminatione vocis ultimae capitis superioris *ἰδιότης* deprehendisse credo, librariumque articulum iisdem literis comprehensum omisisse, unde *δέ* in secundum locum migravisse videtur. Scribe igitur *τῆς δ' εἰς τὸ χεῖρον μεταβολῆς.*

II. 16, 7. *ὅλων τῶν δένδρων τούτων* Ald. Edd., *τούτων* ut spurium seclusit Schneider. Sed haec cum proxime dictis pugnant, vitii suspicionem auget vox importuna *τούτων.* Quare quin *ὅλως τῶν μερῶν τούτων* scribendum sit, vix dubito: *omnino harum partium*, quas recentiores partes vegetativas vocant. Ceterum Gazae interpretatio longe distat: *et magnitudine tam ipsarum plantarum quam fructuum foliorumque fieri solet. Folia enim angustiora latiora redduntur et ad summum plantae ipsae ad hunc modum diversae efficiuntur*, quae quoniam sententiarum ordini non conveniunt, e codice profecta esse haud crediderim.

II. 18, 4. *ἐπιστρέφεται* cum Aldina Editiones omnes. Sed hoc contrarium indicare ejus, quod Theophrastus dicere voluit, videmus ex Histor. IV. extr. Propterea *ἀποστρέφεται* corrigendum est.

III. 2, 3. *οὐκ οἶδε δὲ καθάπερ ἐν ἰατρικῇ· τὸ δὲ τέλειον* q. sq. Lacunam manifestam, jam a Gaza suppletam, qui haec habet *non tamen cur ita effectum sit nosce valet*, cum Heins. Schn. supplevit scribendo *οὐκ οἶδε δὲ καὶ διὰ τί καθάπερ* etc. At si mecum scribas *οὐκ οἶδε δὲ καθάπερ ἐν ἰακτρικῇ τὸ διὰ τί· τὸ δὲ τέλειον* rationem habebis cur voculae *τὸ διὰ τί* exciderint, sequentibus literis *τὸ δὲ τε*..

III. 3, 1. *καὶ τοῖς ὀποῖς καὶ φυτοῖς* U. M. Ald. *καὶ τοῖς καρποῖς* Heins. ut solet cum Gaza *tam fructuum quam plantarum; καὶ τοῖς σπέρμασι* Schn. Equidem pro *καὶ τοῖς ὀποῖς* scribendum esse contendo *καὶ δένδροις.*

III. 3, 2. *ἔτι πλείω ταῦτα — δῆλον ὡς* U.; *ἔστι πλείω — δῆλον ὡς* M.; *ἔτι δὲ πλείω — δῆλον οὖν ὡς* Ald. Edd.; *Verum cum haec plura possunt argumenta a natura ipsa deduci ... non dubites naturalius per ver censeri affirmari* Gaza. Schn. de arbitraria magis quam vera conjectura edidit: *ἔτι δὲ πλείω τοιαῦτα ἐκ τῆς φύσεως αὐτῆς ἔστι λαβεῖν σημεῖα τό τε — πᾶσι ταύτην τῶν πρὸς τὴν φυτείαν ὡρῶν· δῆλον οὖν ὡς·* Mihi vero, cum in Aldinae lectione et *δὲ* post *ἔτι* et *οὖν* a correctore profectum esse appareat, Urbinatis scriptura a vero proxime abesse atque leniter mutata optimam sententiam praestare videtur, scribo autem *εἰ δὲ* pro *ἔτι.*

III. 4, 3. ξύλον κἂν ἡμιπαχες U.; ξ. κἂν εἰ μὴ παχὲς M. Ald.; κἂν ἡμίπαχες Heins.; κἂν κνημιπαχὲς Schn. in editione; in supplementis delevit κἂν. *Lignum satis crasum* Gaza. Veram scripturam κνημοπαχὲς petere debuerunt ex Histor. IX, 4, 3.

III. 5, 3. τὸ δ' ὑπέριζον U.; τὰ δ' ὑπὲρ ῥιζῶν Ald. Heins. Corrector Vinariensis τὸ δὲ ὑπερριζῶν. *Quae suffulta sint fibris* Gaza. Schn. partim recte τὰ δ' ὑπόρριζα emendavit, debebat vero singulari numero τὸ δ' ὑπόρριζον dare, quae una vera scriptura.

III. 7, 3. ἀρρίζου τε γὰρ ὄντος U. M.; τε om. Ald. Edd. omnes. Gaza: *priusquam radicetur*, recte. Scribendum vero, quo ducunt codices ἀρριζώτου γὰρ ὄντος.

III. 7, 4. ὡς δ' ἐπὶ πᾶν φυτεύουσι τὰ ὑψηλὰ Ald. Edd. *Compescenda agricolae docent* Gaza. Pro φυτεύουσι dedit Schn. τέμνουσι φυτεύοντες in qua scriptura altera vox prorsus abundat. Vinar. habet τέμνουσιν ἢ περιαιροῦσιν οὐ φυτεύουσι τὰ ὑψηλὰ quod Sch. pro supplemento habuit, cum sit adnotatio correctoris. Equidem pro φυτεύουσι censeo ἐπιτέμνουσι scriptum fuisse, quod male pictum in illud vocabulum abierit.

III. 10, 2. καὶ ὅσα ξυλώδη U. Ald. Edd. Schn. verbis temere transpositis dedit καὶ τὰ μὲν ἐκτὸς ὅσα ξυλώδη ἢ δερματικὰ οἷον ἀμ. κ. εὐ. τούτων. Verae scripturae normam monstravit Gaza vertens *et eorum quae ligno crustave teguntur ut amygdalae*, quam lenissima mutatione efficies scripto ὅσων pro ὅσα.

III. 10, 7. ἐπεὶ νέων ὄντων εἴ τις παρεῖλεν οὐχ ὅτι ἂν ἀφαύανεν. Ita restitui locum in libris miro modo pessumdatum. ἐπεὶ ὄντων εὐθὺς παρεῖλεν οὐχ ὅτι ἀναφήανεν U.; ὑμενεῶν ὄντων εὐθὺς παρεῖλεν· οὐχ ὅτι ἀνεφύανεν Ald. et Heins. qui παρεῖλον exhibuit. Scripturam εἰ μὲν νέων ὄντων e Gazae versione *nam si cum novellae adhuc essent* dat margo Basil. Schn. scripsit ἐπεὶ εἴ γε νέων ὄντων εὐθὺς παρεῖλε θάτερον οὐχ ὅτι ἀπεφαύανεν ἄν. Vestigia scripturae Urbinatis in emendandis his verbis quam maxime pressi, quo in libro tamen vox νέων quam Aldina servavit praetermissa esse videtur; εὐθὺς quamvis sit speciosum, haud tamen verum judico ac sine mora in εἴ τις, quae ad structuram complendam necessaria sunt, mutavi.

III. 11, 2. δι' ὃ καὶ διὰ τοῦ ἔαρος τροφῆς ἐλάττονος δεῖται de conjectura scribendum esse censeo Ald. Edd. o. δι' ὃ καὶ αὐτὰ στερεᾶς τροφῆς etc.; verba αὐτὰ στερεᾶς ut prorsus inepta et a Gaza omissa uncis secludere Schneider sategit. Equidem in proximis καὶ ἅμα-θέρος invenire mihi videor, quod ad ea, quorum

locum corrupta verba occupavere, referendum sit, atque cum conjecturae meae vestigia quaedam atque apices in scriptura vulgari detegere mihi videar, illam nunc substituere mihi permiserim.

III. 14, 3. *φύσει τε γὰρ καὶ προτέρας εἶναι* U. M. Ald.; *καὶ πιοτέρας* de conjectura Scaligeri Heinsius; *καὶ ὑγροτέρας* cum Vinariensi Schneider; quae correctio hausta est e versione Gazae *humidae sunt*. Sed cum copula *καὶ* hic prorsus sit importuna, ex utraque voce conjuncta vocabulum genuinum restituendum esse videtur. Nescio an verum sit, quod e *καὶ προτέρας* conflari posse video, *καρπιμωτέρας*.

III. 16, 1. *μετὰ δὲ ταῦτα εὐθὺς τὸ δεύτερον σκάπτειν*. Hanc praeclaram Urbinatis scripturam Schn. fere silentio transivit. *τὸ δένδρον* dant cum Aldina Editiones omnes. Scilicet *τὸ δεύτερον σκάπτειν* idem est, quem deinceps *σκαφητὸν τὸν μέσον* dicit, qua de re comparandi Colum. IV. 28, 1 et Plin. XVII. 23, 17.

III. 16, 2. *ἐὰν οὖν ὁ καρπὸς μὴ παρεθῇ* U. M. Ald. Heins. Ad Gazae versionem *si fodiendi cura non omittatur* cum Scaligero et Vinariensi *ὁ σκαφητὸς* dedit Schn. Sed Gazae auctoritas cum admodum exigua sit, huic sripturae nihil immorari opus est. Nexus sententiarum autem postulat *ὁ καιρὸς*, quod restituendum esse contendo. Mox est *καιρὸν δέ τινα ζητεῖ καὶ ἡ διαστολή*.

III. 16, 4. *τὴν τροφὴν ἐκ τῆς ἀμπέλου* Ald. Edd. o.; *a vite* G. Vix dubitari potest, quin hic de vite sermo non sit, sed omnia haec de cucumere dicta sint, quam in terra subtus effossa reponere solent. Atqui de vite si dicta essent, sensus nullus verbis graecis constabit. Veram scripturam indicari a codice M. puto, *τοῦ ἀμπέλου* exhibentis: mihi *τοῦ ἀέρος* scribendum esse videtur.

III. 19, 1. *ἡ τοῦ ὕδατος ἐργασία* U. Ald. Heins.; *saricio* Gaza; *ἥ τε τῆς γῆς ἐργασία* Schneider. Etsi scriptura librorum sensu non caret, intelligi enim potest de aquis mixtis arteque praeparatis, hic tamen cum *ὕδρευσις* praemissa sit, vera esse nequit. Substituo igitur, quod aptissimum et literarum ductu simile esse videtur *ἡ τοῦ ἐδάφους ἐργασία*. Cf. II. 4, 1.

III. 19, 6. *εἰς διειργασμένην γὰρ καλῶς πεσὸν τὸ σπέρμα ἐκφύεται* U. Ald. Heins. Gazae auctoritate fretus, qui *semen enim solo commissum bene proscisso perbelle erumpit* vertit, Schn. post *ἐκφύεται* adjecit *καλῶς*, minus recte. Quamvis Gazae ingenio plus quam fidei tribuam, hoc loco ipsa sententiae ratio adverbium illud postulare videtur, quod Schn. loco haud commodo posuit. Ac-

cedit vero auctoritas quaedam codicis M., qui *καὶ ἐκφύεται* dat, unde mihi *σπέρμα καλῶς ἐκφύεται* scribendum esse persuadeo.

III. 21, 4. *ἐπέχει δ' οὔ· ὁμοίως ἐθέλει φέρειν μὴ ἐμπλησθείσης τῆς ὕλης* Sic M. Ald. Heins. Felicissima conjectura *ἐμπρησθείσης* loco obscuro lucem reddidit Schneider, sed quod pulchre incepit, haud ad finem perduxit. Verba enim ab initio posita *ἐπέχει δ' οὔ* sensu carent. Quorum loco si mecum *ἐνιαχοῦ δ' οὐχ* scribas, optime prodibit sententia haec: Nonnullis autem locis triticum non bene effert fructus nisi materie in agris incensa quo solum extenuatur quodammodo. Ceterum deinceps *οὕτως δ' ὥσπερ* stabit, cui *οὕτως γὰρ* Schn. substituit.

III. 22, 2. *διὰ τὸ καὶ τὴν σελήνην τῇ θερμότητι σήπειν τῆς νυκτὸς.* Ultima verba, sive pro adverbio tempus significante habeas, sive cum *σελήνης* sive cum *θερμότητος* jungas, omni ratione vel abundant vel jejuna atque inepta sunt. Collatis verbis IV. 14, 3. *καὶ πανσελήνοις δὲ μᾶλλον ὅτι συνεργεῖ καὶ ἡ τῆς σελήνης θερμότης καὶ ὅλως ὁ ἀὴρ ὑγρότερος,* invenisse mihi videor, unde verba *τῆς νυκτὸς* orta sint: scribo enim *τῇ ἑαυτῆς.*

III. 22, 5. *διὰ γὰρ τὸ ὀλίγον εἶναι τὸ ὕδωρ καὶ μένειν ἐν τῷ δένδρῳ σῆψιν ἐποίησε ἐξ ὧν ὁ σκώληξ, ὅταν ἄφθονος* Ald. Heins. et Sch. qui *ἐξ ἧς* scripsit, dein *ὅταν δ' ἄφθονος* dedit et *γὰρ* in sequentibus sustulit. In cod. U post vocem *σκώληξ* addita sunt haec *ὑγρῷ θερμαινόμενον σημεῖον ἐποίησεν ἐξ ὧν ὁ σκώληξ,* quibus inesse quaedam existimo quae ad supplendam Aldinae scripturam idonea sint. Etenim haec verba e scripturis in margine adnotatis profecta esse atque inde una cum iis verbis quibus adjungi debebant male conflata in contextum venisse videntur. Equidem hunc locum secundum librorum scripturas ita constituendum esse putaverim: *διὰ γὰρ τὸ ὀλίγον εἶναι τὸ ὑγρὸν καὶ μένειν ἐν τῷ δένδρῳ θερμαινόμενον σῆψιν ἐποίησεν ἐξ ὧν ὁ σκώληξ. σημεῖον δ' ὅταν ἄφθονος ἡ τροφὴ γένηται.*

III. 23, 1. *ἄριστον δὲ ἴσως καὶ ἀσφαλέστατον εἰς ὀργῶσαν ἐπειδὴ ἐμβληθῇ διευλαβούμενον.* Hac lectione, quam Ald. Edd. o. praebent, verba haud genuina constare manifestum est. Quanquam certa emendationis ratio non in promtu est, habeo tamen quomodo corrigam. Scribendum enim esse conjicio *εἰς ὀργῶσαν τὴν γῆν ἐμβληθῆναι εὐλαβούμενον.*

IV. 2, 1. *πρὸς δὲ τὴν ἔξω διαμονὴν φυτευομένων* U. Ald. Heins.; ultimam vocem omittit Gaza, *τῶν σπερμάτων* substituit Schn., quod tamen longius distare videtur.

Quum de duratione sermo sit, vix dubito quin *φυλαττομένων* scriptum fuerit. Structurae hoc genus, quod genitivus absolutus sit positus sequente dativo ejusdem subjecti, apud Theophrastum saepe obvium est. Sic paullo mox c. 3, 4 corrigendum esse videtur *ἡ δὲ διαμονὴ θησαυριζομένων*, ubi U. M. Ald. H. *θησαυριζομένη* habent, Schn. *θησαυριζομένοις* edidit.

IV. 4, 6. *καὶ μᾶλλον πυροῦ ἢ κριθῆς ἰσχυρότερον* U., ubi vero antea *πυρὸς* fuit; *πυρὸς ἢ κριθῆς* M.; *πυρὸς ἢ κριθὴ* Ald. Edd. o. Quae scripturae quum omnes sententiam minime aptam praestent, ad emendationem confugiendum est. Levissima est, si scribas *πυρὸς εἰ κριθῆς*, quod a lectione Urbinatis proxime abest, hoc sensu: *καὶ μᾶλλον ἄτοπον ὅτι πυρὸς μεταβάλλει εἰ κριθῆς ἰσχυρότερον.*

IV. 4, 13. *διάφορον δέ τινα εἶναι ὡς αἶραι δεῖν καὶ τῶν ἐπαφῶν.* Haec verba editionis Aldinae admodum corrupta et sensu omni carentia primum Scalig. et corrector Vinariensis in — *εἶναι ὡς ἄρα δεῖν* — *ἐδαφῶν* mutari voluerunt; Schn. edidit *διαφορὰν δή τινα εἶναι, ὡς ἄρα καὶ τῶν ἐδαφῶν.* At vetustam labem hic sedere, Aldinaeque verba non premenda esse, ostendit scriptura codicis U., qui frustula tantum verborum veterisque lectionis rudera tantum habet: *διαφορὰν δὲ τινα ινα ως ειναι δεῖν καὶ τῶν ἐφαφῶν.* Non male Gaza: *absurdum forte non est differentiam aliquam esse tum soli tum aeris oportere.* Computatis literis hanc propono conjecturam: *διαφοράν τινα συναιτίαν εἶναι καὶ τῶν ἐδαφῶν.*

IV. 5, 1. *πλείστην ἔχοντα ὑπομένει.* Hanc mutilam M. Ald. lectionem inserto *δύναμιν* suppleverunt Heins. Schn.; verum *τροφὴν* divinaverat Scaliger. Supplementum praebuit U. *πλείστην ἔχοντα τροφὴν καὶ μάλιστα πάσχειν· τὰ πάσχοντα ὑπομένει*, quod Schn. in suppl. sic mutatum adoptavit *πάσχειν· πάσχοντα δὲ ὑπομένει*, quae quomodo construi possint equidem non invenio. At si mecum *πάσχειν τὰ* pro scriptura corrupta habeas, ita ut in codice falsam scripturam vera excipiat et structura et sententia plana erit: *πλείστην ἔχοντα τροφὴν καὶ μάλιστα πάσχοντα ὑπομένει, Quum enim propter valorem et copiam radicum plurimum nutrimenti habeant etiam vehementer affectae resistunt neque intereunt.*

IV. 5, 4. *τῆς τροφῆς ὀλκόν* Ald., unde pessime Heins. *πλεῖον τῆς τροφῆς ἕλκει* fecit; *ὁλκὸν* dedit Schn., quod verum esse haud multis persuadeat. Mihi *ὄγκῳ* scribendum esse videtur. — Deinceps pro *διάστασις* quod U Ald. Heins. habent, Schn. *μετάστασις* dedit, ego potius *ἔκστασις* scripserim.

ibidem. *τὸ δὲ ὅλον ὡς αὖον* Ald Edd. o. *Alterum nullum substinet motum ut pote imbecillum sed penitus interit* Gaza, quam sententiam non recte habere quisque videt. Tamen inde sumsit Schn. id quod ad verum accedit, conjiciens *τὸ δὲ ὅλον ὡς ἀσθενέστερον ὄν*, ubi quidem haud recte *ὡς* retinuit, quoniam participium hic non ad cogitationem refertur sed simpliciter causam affert. Mihi vero facili ratione locus emendari posse videtur *τὸ δὲ ὅλως ἀσθενὲς ὄν*.

IV. 5, 5. *οἷον ἐκ* U M Ald. Defectum suppleverunt Heins. et Schn. in edit. *ὅτι*, Schn. in Suppl. *ὅτε* inserentes: mihi *εἰ* inserendum esse videtur quod sequente *ἐκ* facile intercidit.

IV. 5, 7. *ἅμα τοῖς γινομένοις ὁρᾷν* M Ald.; — *ὁρκᾷν* Heins.; *ὁρμᾷν* Schn. quod idem Heins. voluerat; — *ὀργᾷν* conjecerat Palmer Exerc. In U est *ὁρᾶν* ita scriptum ut *ο* punctis circumscriptum et supra eam literam *α* minutum appictum sit quod etiam pro spiritu aspero accipi possit, ita ut vox etiam *ὥραν* legi possit. Sed collatis locis II. 16, 6. *εἰ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ζωῶν τοῦτο συμβαίνει καθάπερ φασὶν ἐπὶ τῶν ὀρνίθων καὶ χρώμασι καὶ σχήμασι καὶ δυνάμεσι, καὶ τοῦτο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν* et V. 7, 3. *τῶν δὲ καὶ τετελειωμένων ἤδη κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰς διαθέσεις τοῦ σώματος αἱ γίνονται διὰ τὰς ἐπετείους ὥρας ὥσπερ ταῖς ὄρνισιν*, haud dubium esse potest quin hic *ἅμα ταῖς ὥραις γινομένας* corrigendum sit.

IV. 6, 1. *μάλιστα πόρρω* Ald. Edd. o.; *procul maxime sunt* Gaza. Verum indigitat U, ubi *μάλιστα πόρω* est. Scribendum enim *μάλιστ' ἄπορον*.

IV. 7, 3. *τῆς θερμότητος καὶ ποτιμώτερος* Ald. Edd. o.; ultima duo verba om. G. Quod Dalecampius *καὶ ἑτοιμότερος* et quod Coraës *καὶ προσειλότερος* conjecit, utrumque recte sprevit Schneider. Verba cap. 8, 3 *καὶ συνεργοῦντος τοῦ ἀέρος ἐκπέττει ῥᾳδίως* docuerunt me, quid hoc loco scriptum fuerit: scribo igitur *τῆς θερμότητος τῆς ἐκ τοῦ ἀέρος*.

ibidem. 16 de dare de mor. Ald. Rdd. o. alterum nullum substituit nomen ut poe. simpliciter sed penitus taceri Gaxe, quam sententiam non recte habere quisque videt. Tamen inde sumsit sedm. id quod id verum accedit, conjectura 16 de dare ne differentiam or. ubi quidem haud facile dixerimus, quomam participium hic non ad cogitationem referitur, sed simpliciter causam affert. Nihil vero proli. ultimo loco emendari posse videtur 16 de dare de Serv. ou.

IV. 5. Scilicet 4 M Ald. Delectum supplevernnt Heins. et Sedm. in edit. Sedm. in suppl. ope inserendi: nihil ex inserendum esse videtur quod sequente de ta-gile interrelit.

IV. 5. 7. Hic vero primum ope M Ald. — ope Heins. ope Sedm. quod idem Heins. voluerat — ope conjecerat Palmer Exer. In L est hoc inscriptum ut e puncto circumscriptum et supra eum alterum a. minutum apponatur quod etiam pro spiritu aspero accipi possit, ita ut vox etiam ope legi possit. Sed collatis locis II. 16. 6. et de sed. in vox [illegible] [illegible] [illegible]